P. R.

Comites Renatus, & Conſortes de Borromæis, Marchio Joſeph Antonius Villanus, cæteriquè Poſſeſſores bonorum jacentium in Territorio Uboldi, & Origii, fidlſs. M. V. reſpectivè Vaſſalli, & Servi Supplices Excelſo Ordini repræſentarunt, quantum ipſis eſſet neceſſarium proſequi Cavum, cujus ope imminenti proſpicerent periculo, quod Torrens appellat. *il Bozzente* in totale excidium ipſis minabatur.

Incæptum opus nuntiarunt, & ſimul, & ſemel ab interpoſito per offitium Judicis Stratarum, & quidem irreparabili impedimento ad Excelſum Ordinem reclamarunt ab eodem, in circumſtantiis, & gravitate caſus opportunam humillimè expoſcendo providentiam.

Placuit M. V. ſub die nonà labentis Martii decernere.

L. *Litteræ Judici Stratarum, ut quamprimùm informet, ſuſpenſis interim irreparabilibus, mox iterum fiat verbum per Magnificum Comitem Regentem Peyri.*

Hæ litteræ Judici ex offitio, nullà explicità Partis inſtantià, procedenti, ut litteralitèr præbet præceptum diei 24. Februarii nuperi prædictis Communitatibus ex ejùs ordine inthimatum, pro majori [illegible] per Supplicantium Sollicitatorem præſentatæ, nullà tamen additâ expeditionis ſollicitudine, quam unicè vigore prælibati M. V. decreti fieri agnoſci debebat ab Offitio Stratarum, & quam à Parte à gravaminibus ſibi ab eodem illatis ad Supremum M. V. Senatum reclamante expectare non poterat juxta receptiſſimam praxim.

Peractis in Cancellarià M. V. Senatus diligentiis ſub die decima quinta currentis, injunctas à M. V. informationes tranſmiſſas adhuc non fuiſſe Supplicantes comperuerunt.

Hinc urgente tempore, quo propinqua nimis juxta ſolitum pericula intuebantur, addito inſimul timore, ne à copioſis imbribus, qui illis diebus decidebant, præventivè etiam præjuditia paterentur, Supplices M. V. adierunt, expoſitoque rerum ſtatu, petierunt ab Excelſo Ordine declarari licere Supplicantibus Cavum perficere, oblata fidejuſſione, vel obligatione Supplicantium ad normam Statutorum de novo opere demoliendo.

Dignata eſt M. V. ſub die 16. decernere.

L. *Attentis expoſitis, & præſtita oblata fidejuſſione, & ſalvis juribus quorumcumque intereſſe habentium, licere Supplicantibus perficere Cavum jam incæptum.*

In

In adimplementum prælibatæ M. V. ſanctionis opportunam Supplicantes præſtiterunt fidejuſſionem in actis Regii Capitanei Juſtitiæ Supremorum M. V. Ordinum executoris, ut ex actu, qui M. V. exhibetur.

Mox operis proſecutioni incubuerunt, & incumbunt ſummo cum Incolatum gaudio, quippe quia hoc pacto reparatum iri vident excidium, quod totiès cum vitæ etiam periculo pertimeſcere debuerunt; Atque Supremæ M. V., providentiæ tanti damni munificentiſſimæ reparatrici unà cum Supplicantibus ſe ſe addictiſſimos profitentur.

Præaudiunt Supplicantes tranſmiſſam fuiſſe à præfato Judice informationem, eundemque altè conqueri de Supplicantibus, quarè ab ejus juditio violatà jurisdictione declinaverint, ſeque paratiſſimum profiteri ſuper hoc emergente cognoſcere, & quod juris fuerit, pronuntiare.

Se ad inſtantiam Communitatum Inferiorum deveniſſe ad tranſmiſſionem præcepti diei 24. Februarii, utpotè quia ſibi expoſitum fuerit novitates inſtrui per Communitates prædictas in conſtructione Cavi ab antiquo remoti, cujus ope collectis in unum aquis anteà diſperſis, alibi Torrens diverteretur.

Se itaque juxtà praxim Tribunalis proceſſiſſe, inhibendo Communitatibus Uboldi, & Origii, ne ad operis perfectionem proſequerentur.

Poſt hanc aliam M. V. tranſmiſiſſe informationem adnexis etiam documentis.

Injuſtè tamen doleret Judex Stratarum, ſi prædicta proponeret, quæ Supplicantes ſubaudiefunt.

Quis enim vel cogitavit de violandà ejus jurisdictione?

Præceptum loquitur de præjuditio, quod ex conſtructione Cavi fieri aſſerebatur Communitatibus Inferioribus; Hinc nihil habere poterat Judex undè ex offitio procederet, dum non agitur de vià publica, de aquis, & novo Alveo ſecus viam conſtructo de aquà, quæ immittatur ſuper ſtratis publicis, ſed de aquà immiſsà in veterem alveum, ut vidit M. V. in aliis precibus, & ex thypo.

Viderunt igitur Supplicantes inthimatum hujuſmodi præceptum ex mero offitio in re, quæ merum intereſſe Partium reſpiciebat, ut conſtat ex Litterà ejuſdem præcepti, viderunt ab eodem Communitates ſpoliatas ingenità libertate propriæ defenſionis, abſque citatione, abſque Partis inſtantia, abſq; litis conteſtatione.

Agnoverunt Judicem Marchionem Lucinum affinitate conjunctum cum Marchione Joſeph Antonio Villano altero ex Sup-

Supplicantibus. Eundem Judicem intereſſe habentem in hoc negotio, dum habet Vineas limitrophas ſæpedicto Torrenti in Loco, ſeu Poſſeſſione nuncupatà *la Grancia*. Inferiùs ab Origgio conſtitutà undè ipſum in hàc causà judicare non poſſe.

Etiam hiſce conſideratis reclamarunt ab hoc gravamine ad Senatum M. V., ad Supremum Principem, in quo omnis reſidet ſumma poteſtas, à quo ſuper geſtis à quocumque ſubſellio indiſtinctè cognoſcitur, & ſi quid illatum eſt præjuditii, vel gravaminis reparatur.

Nec eſt, cur Offitium Stratarum promptum ſe offerat juſtitiam impertiri, nàm ipſum non poteſt manum ampliùs apponere rebus per idem judicatis.

Potiſſimum in præſens dùm à M. V. declaratum fuit licere Supp. perficere Cavum incæptum ſub nexu oblatæ fidejuſſionis, undè cognitio rei debet eſſe M. V., nec inferior Judex cognoſcere poteſt an ſubſiſtere, vel non ſubſiſtere poſſit illud opus ſub examine Excelſi Ordinis conſtitutum.

Ubi Judex functus eſt Offitio ſuo, iterùm ſuper eadem re cognoſcere prohibetur, Textus eſt celeber in *l. Judex poſteàquàm ff. de re judicatà*, & unicà in hoc caſu via ſupereſt gravato, ſcilicet emendationis à Superiore implorandæ.

Judex Stratarum Communitates ex Offitio condemnavit, ergò non poteſt ampliùs cognoſcere, ergò remedium unicè à M. V. Senatu erat exquirendum.

Quod autem Communitates Uboldi, & Origii definitivè etiam condemnaſſet, recognoſcitur ab ipſiuſmet præcepti lecturà.

Porrò quid continet? *Che immediatamente* (ſunt verba præcepti) *dopo l'intimazione di queſto debbano aver allegata la Cauſa, per cui non debbano eſſere condannati nelle pene eſpreſſe nelle Gride del noſtro Tribunale per le novità ſi và facendo in formare un nuovo Cavo, divertendo il Torrente Bozzente dal ſolito ſuo corſo a pregiudizio delle Comunità inferiori, aſtenendoſi immediatamente dal più oltre far lavorare in detta operazione, e ciò ſotto pena de ſcudi ducento d'eſſere applicati a dett' Offizio, alla quale ſi procederà ſenz' altro avviſo con ogni opportuna eſecuzione in caſo d'inobbedienza, oltre di che ſi farà provvedere alla detta novità, inconveniente, e pregiudizio ex Offitio a loro ſpeſe.*

En igitur quid agitur in hoc præcepto?

Abſolutè definitur patratam fuiſſe à prædictis Communitatibus novitatem inconvenientem, & præjuditialem, ab ipſis diverti il *Torrente Bozzente dal ſolito ſuo corſo*.

Quandò adhuc cognoſcendum erat, an intrinſecæ, & formalitèr curſus aquæ diverteretur.

Quin

Quin immò jàm noverit M. V. ex aliis Supplicantium precibus Torrentis curſum non immutari, ſed unicè curatum fuiſſe, ut ea ſervitus, quam Communitates ſæpedictæ pati coguntur in recipiendo Torrente, minùs pernitioſa redderetur; Cæterum Facti veritas eſt conſtantiſſima Torrentem à Territorio Gerenzani per Territorium Uboldi defluere ad Terrirorium Origii, & quidem in ipſdmet Territorio Uboldi à veteri ad vetus punctum immitti per Canale intermedium, quod nunc conſtruitur.

Declaratur itidem hoc factum eſſe in præjuditium Communitatum inferiorum.

Quandò nulla in præcepto expreſſa legitur inſtantia Communitatum, in quarum præjuditium Cavum conſtrui aſſeritur, ſicque præjudicatur definitivè illi inconcuſſo Juris, & Facti principio, in quo præ cæteris ſe fundant Supplicantes, quod ſcilicet Cavus, qui nunc conſtruitur, non tantùm inferioribus non præjudicat, verùm etiàm non modicum affert utilitatis.

Rejicitur etiàm illud beneſitium à jure inconcuſsè conceſſum, per quod permittitur damni reparatio etiam cum vicini præjuditio; Nàm ſupponens Judex præjuditium Inferioribus fieri per Cavi conſtructionem, hanc ob tale Supplicantium præjuditium (à jure tamen permiſſum) fieri non poſſe ordinavit.

Quod autem gravius eſt, ſub pœna aureorum biſcentum comminatus fuit; *Che ſi farà provvedere alla detta novità, inconveniente, e pregiudizio ex Offitio a loro ſpeſe.*

Quid importat reparatio novitatis in hoc caſu? Certè nil aliud, quàm quod ipſam, medià obturatione partis Cavi jàm facti tollere.

Profecto Supplicantes ignorant, quid magìs ſupererat definiendum?

Totum igitùr hoc damnum, ac gravamen illatum ex antedicto præcepto definitivæ Sententiæ naturam ſortiente reddebatur omninò irreparabile.

Dignetur M. V. retinere in præcepto ordinari ſuppoſitæ novitatis reparationem ſub pœnis ſuprà expreſſis, *immediatamente dopo l' intimazione di queſto.*

Dignetur animadvertere nullam oppoſitam fuiſſe clauſulam gravatoriam, vèl juſtificativam.

Hiſce poſitis, unicè adeò manifeſtum gravamen reparari poterat à Senatu M. V. medio providentiæ, quam Supplicantes implorarunt, & proùt hactenùs licuit, obtinuiſſe gloriantur.

Non

Non percipiunt Supplicantes, quomodò procedendi modus ab Offitio Stratarum in hoc caſu ſervatus inniti velit (proùt audierunt) praxi ejuſdem Offitii.

Ubi daretur hæc praxis inauditos condemnandi, videt M. V., quod omninò inattendibilis redderetur.

Verùm ex ipſamet viſione præcepti diei 24. Februarii dignoſcitur aliam eſſe praxim Offitii prædicti.

Præceptum eſt thypis cuſſum juxtà formularium Offitii.

Cuſſio exprimit, *che nel termine de giorni . . . . . correnti dopo l'intimazionè di queſto debbano avere &c.*, & infrà, *in oltre comandiamo, che dentro di detto termine debbano notificare &c.*

En igitùr ſolitum eſſe opponi clauſulam gravatoriam, atquè hæc conſuetudo perhibetur, ut dictum eſt, ab ipſamet lecturà præcepti.

Quid actum fuit in præſens? ſuperſineata ſunt verba: *nel termine de giorni . . . . correnti* (Legi tamèn adhùc poſſunt) & horum loco appoſita fuit clauſula *immediatamente*, quæ ulterioribus incumbentiis aditum omninò præcludit, quodlibet temporis interſtitium ſubtrahendo.

Videt ergò M. V., etiàm in conſpectu ipſius præcepti, illius irregularitatem, injuſtitiam, & gravamen convinci, cum à praxi, etiàm Offitii, quæ præceptis gravatoriam apponit, in hoc caſu fuerit receſſum, condemnando abſquè citatione contrà litteram etiam N. C. Communitates ad tollendam ſuppoſitam novitatem, ipſiſque auferendo clauſulam gravatoriam de ſtylo apponi ſolitam, per quam jura ſua deducere valuiſſent, undè proceſſum fuit ad Sententiam ſuper merà repræſentatione Partis Supplicantibus cæteroquìn incognitæ.

Percipit ergò M. V., quàm neceſſariè ab eadem providentiam expoſtulaverint.

Quoniam verò à ſæpedicto præcepto ad reparandum aſſertum Communitatum Inferiorum præjuditium tranſmiſſo, & ab eo, quod Supplicantibus datum fuit intelligere, opportunè ipſi cognoſcunt ad inſtantiam alicujus prædictum præceptum fuiſſe tranſmiſſum, juſtum credunt, quod adverſarius amplius latere non debeat, ſed levato velo, faciem, & jura ſua producere, ut paribus armis certandum ſit.

Juſtum pariter credunt Supplicantes, quod iſtæ Communitates, in quarum gratiam prodiit ſuprà memoratum præceptum, proferant, & explicent quænam ſint iſta præjuditia, quæ ipſis inferri aſſerunt, quæ jura foveant, quibus cogi poſſint Supplicantes, qui primum Torrentis impetum ſubeunt,

pati

pati propria bona, domos, ædifitia ſubverti; quibus ipſis adimi debeat libertas laborandi in propriis fundis, propriæ indemnitati conſulendi, ac quæcumque amovendi pericula.

A' Supplicantibus enim non eſt pertractanda cauſa cum Judice Stratarum, qui jam functus eſt Offitio ſuo, & à dujus ordinatis ad M. V. Supplicantes reclamarunt, interpoſito quocumque opportuniore remedio.

Sperant igitur Supplicantes à M. V. quaſcumque ulteriores, quas circumſtantiæ caſus exigent providentias, injungendo etiàm Magnifico Comiti Regenti Peyri, ad quem omnia remittenda eſſe repetitè M. V. decrevit, ut, quatenùs M. V., vèl prælibato Magnifico Delegato juditialitèr innoteſcat, quinam ſint Supplicantium Adverſantes, ipſis ſtatuere faciat terminum ad eorum aſſerta jura deducendum coràm Senatu M. V., proùt ab eàdem

Humillimè deprecantur, & ſperant &c.

P.

8801.